

hebreorum quia tempus inimicorum dei erit in secula. Erit igitur ut videtur in eternum et sine fine. Verum quoniam nuda promissio siue predictio nec comminatio est contra creatorum inimicos qui deterreri debeant a malis suis. nec promissio est boni quo debeant illi provocari ad ea que recta sunt. ad ea vero maxime est intentio prophetarum in huiusmodi sermonibus non videtur villo modo quod tempus accipiat ibi. Secundum intentionem qua tempus dicitur mensura motus. Quapropter visum est quibusdam quod tempus ibi accipiat temporalitas. id est instabilitas qualem passuri sunt irrenocabiles a malis suis homines. In inferno quippe si erit ibi vicissitudo tormentorum ut vnum post alterum infligatur erit et ibidem veri nominis tempus. Si enim non fuerit ibi vicissitudo hominum sed omnia tormenta sicut cruciabantur illos et hoc absque fluxu villo et transitu ipsorum. Forte multis non videri possit esse apud eternum veri nominis tempus. Si enim totum quod meruerunt tormentorum simul habebunt nihil in posterum vel ultra timentes vel expectantes sed totum presentia patientes statim iste indubitanter non est status temporalitatis quin potius malum similis statim eternitatis. Sicut et felicitas sanctorum et hoc est omnibus opinionibus magis congruus doctrine christianorum. sicut enim felicitas que electis dei promittitur non per partes eis reddenda est neque pars post partem. Sed tota simul alioquin nunquam esset completa illa felicitas neque integra et propter hoc neque esset etiam veri nominis felicitas neque integra. sed necesse est et in contraria miseria se habere et tota simul miseria malos obtineat. Signanter ergo dictum videtur erit tempus eorum in secula ac si dictum esset quia tempus huiusmodi. id est status eis competentis erit in secula. hoc est in eternum per modum et similitudinem quo exposui videlicet in quo simul totum malum sit quod passuri sunt periculatim siue per partes.

his igitur ita determinatis aggrediar promissam investigationem et declarationem de nouitate et antiquitate vniuersi vniuersaliter et de temporalitate. atque eternitate ipsius. Et est intentio mea in sermonibus istis an sit ipsum vniuersum nouum. an antiquum quod est dicere an temporale. vel eternum. an cepit esse et an desiturus sit. Vniuersaliter autem dixi pro eo. quia non est intentio mea inuestiga-

re de partibus singulis vniuersi hoc est vniuersitatis creaturarum. Non enim intendo de singulis creaturis perscrutari videlicet de socrate. de platone an esse ceperint quoniam huiusmodi nullam habent dubitationem vel questionem. Sed de partibus magnis eiusdem de speciebus atque generibus rerum creatarum.

Quam igitur in primis opinionem Aristotelis et rationes que ipsum in opinionem suam de hoc induxerunt. et alias etiam contra eundem ad hoc ipsum mouere potuerunt. Quicquid igitur dicatur et quicumque conuenitur excusare Aristotelis. hoc indubitanter fuit eius sententia. quod mundus est eternus et quod non cepit esse et de motu similiter sensit et Avicenna post eum et adduxerunt rationes et probationes ad hoc. Similiter et alij expositores eiusdem Aristotelis. ad ipsum senserunt atque fecerunt. Prima igitur ratio eorum est hec quia creator vel precessit mundum vel non precessit. Si non precessit. Non fuit ergo creator quin et mundus esset. mundus igitur non incepit esse et hoc est quod intendunt vel creator non fuit ante inceptionem mundi et propter hoc tunc primum fuit quando mundus incepit esse. Incepit igitur esse cum mundo. hoc autem impossibile manifestum est quod nec ipsi huiusmodi sententie professores recipiunt. Si vero precessit mundum creator et non precessit ipsum. ut ait Avicenna tempore non precessit igitur ipsum nisi quedam causa precedit effectum. Jam autem audi uisti. quia est etiam alius modus precessionis et dixi tibi in precedentibus quia eternitas precedit tempus et hoc in infinitum cum infinita sit. quare cum creator eternus sit et in tota ut ita dicatur eternitate semper fuerit in infinitum creator precessit mundum et ut dictum est tibi tota eternitate creator precessit mundum. Adiuuandus igitur est in hac ratiocinatione Avicenna. Ita enim procedit ac si non esset alius precessionis modus quam duo illi quos nominauit potuisset igitur dixisse pro sententia sua. Si creator precessit mundum fuit igitur creator vel quando nec dum mundus erat vel fuit creator sine mundo. ymaginare igitur quod aliqua creatura esset in eternitate cum creatore et cogitaret apud se de mundo an esset futurus aut non. vel si potuit dici in eternitate mundus est futurus quia reuera non poterat dici in eternitate mundus esse. alioquin